

exponens ait: « Annon orbis est Imperatori subditus, hic (episcopus) vero unam tantum civitatem regit? at tanto maiores sunt huius sollicitudines quanto maius est pelagus tumens ac furens aqua fluminis. Quam tandem ob causam? quia illic multi sunt ministri, omniaque lege et mandato peraguntur, hic vero non item. Neque enim licet ex auctoritate praecipere, οὐδὲ ἐπὶ ἐξουσίας ἐστὶν ἐπιταξαι, h. e. liberum non est mandata ferre. » Verum 1° loquitur Chrysostomus historice non iuridice: 2° officium episcopi spectat, ut fere semper solet, respectu illius finis qui est institutio hominum in fide et doctrina ac morum emendatione virtutumque cultura, pro quo fine obtinendo ea media requiruntur, quae persuasionem valeant gignere in mente liberasque voluntates sponte flectere. Sed non negat Episcopum aut Ecclesiam ius habere puniendi poenis corporalibus perturbatores ordinis socialis ecclesiastici et rebelles suae auctoritati, atque iisdem poenis compescendi malos ne aliis noceant, atque exigendi a civili potestate subsidium pro exercitio huius potestatis. Idem hom. IV in illud *Vidi Dominum* ex verbis Isaiae, affirmat Sacerdotum esse tantum arguere et libere monere; et negat eorum esse movere arma, clypeos usurpare, vibrare lanceam etc. At 1) loquitur de Sacerdote T. V.: 2) et de iis actionibus loquitur quas per se praestare possunt Sacerdotes, eorumque sunt propriae: spectat sane Sacerdotem in oppositione ad Regem, qui postquam legem sacram violaverat, arma movebat, suaeque utebatur potentia. Libro autem II De Sacerdotio c. 3. ait quidem « Christianis minime omnium licere peccantium lapsus vi corrigere »; sed ideo hoc [dicit] quia agit de modo emendandi et efficiendi meliores homines gignendique in iis certum propositum abstinendi a peccatis. « Sed oportet persuadere hominem, eumque efficere meliorem... cum Christus eos aeterna corona donet non qui coacti, sed qui certo proposito a peccato abstineant. » In id ergo intentus Chrysostomus quod per se ad emendationem praverum conducit, negat id vi obtineri debere sed persuasionem. Addit etiam « neque nobis facultas tanta a legibus data est ad delinquentes coercendos » verum advertimus 1) haec prout historice dicuntur, et significant Ecclesiam non esse tunc usam potestate coercitiva in peccantes, vera esse possunt quin nostrae thesi officiant; potestas enim huiusmodi non se tota ab initio, sed paulatim per temporum vices explicavit: 2) prout autem significare videntur potestatem coercitivam per poenas corporales non iure proprio Ecclesiam habere, sed solum per concessionem Principum obtinere posse, id obiter a Chrysostomo dictum adversaretur sententiae ab Ecclesia deinceps authentice assertae: neque ita opus est interpretari Chrysostomum, qui solum significat ad exercitium actuale

huius potestatis pro Ecclesia requiri liberum consensum Principum, qui tamen, ut demonstravimus, debetur. S. Petrus Damiani L. IV. ep. 9. improbat in Sacerdotibus usum armorum seu belli pro defendendis bonis temporalibus Ecclesiae; sibi que obicientibus « bellicis usibus Leonem (IX) se frequenter implicuisse Pontificem, verumtamen sanctum esse: » respondet « quoniam nec Petrus ob hoc Apostolicum obtinet principatum quia negavit; nec David idcirco prophetiae meretur oraculum, quia torum alieni viri invasit. » Verum et auctoritati Damiani opponere licet auctoritatem ipsius Leonis pariter sancti et doctissimi Pontificis, tum manifestam rationem; qui enim ius habet ad bona temporalia, idem ius habet ad ea conservanda mediis opportunis, cuiusmodi sunt arma contra hostes: et si is sit princeps supremus independens, ius habet vindicandi sibi per se ipsum ea bona. Licere armis patrimonium temporale Ecclesiae tueri universa Ecclesia cum suo capite hac nostra aetate testata est. In Decreto causa XXXIII q. 2. can. 5° *Inter*, haec Nicolai verba referuntur « Sancta Dei Ecclesia mundanis nunquam constringitur legibus; gladium non habet nisi spiritualem, qui non occidit, sed vivificat. » Decernit nempe ibi non licere viris adulteras uxores occidere, quod leges civiles permittebant. Ecclesiae autem non negat potestatem coercitivam corporalem, sed eam tantum qua per se ipsam mortem infligit; neque necesse est ita accipere Pontificis verba ut ipsum ius negetur, sed ita accipi possunt ut negetur usus, vel quod generatim expediat uti. Ceterum Correctores Decreti notant dubiam esse epistolam Nicolai, e qua canon ipse sumptus est. Causa XXIII q. 5. can. 20. *Principes* dicitur quod « intra Ecclesiam potestates necessariae non essent, nisi quod non praevalet Sacerdos efficere per doctrinae sermonem potestas hoc impleat per disciplinae terrorem. Saepe per regnum terrenum caeleste regnum proficit, ut qui intra Ecclesiam positi contra fidem et disciplinam Ecclesiae agunt, rigore principum conterantur, ipsamque disciplinam, quam ecclesiae humilitas exercere non praevalet, cervicibus superbiorum potestas principalis imponat. » Scilicet non negat Isidorus (cuius hic est canon excerptus ex Lib. III. Sententiarum seu De Summo Bono cap. 51) esse in Ecclesia potestatem coercitivam corporalem, sed docet quoniam sit eius minister, et idcirco quodnam sit officium potestatis secularis, quae vim suam exercere debet pro defensione Ecclesiae, ut ait Bonifacius VIII; praesertim cum humilitas et mansuetudo Ecclesiae suadet ut ipsa immediate vi sua non utatur. Unde concludit « cognoscant principes seculi Deo debere se rationem reddere propter Ecclesiam, quam a Christo tuendam suscipiunt. » Praecipue provocatur ad auctoritatem Gregorii II in sua epistola dogmatica 2°

ad Leonem Isaurum circa cultum imaginum. Ait enim: « Alia est ecclesiasticarum constitutionum institutio, et alius sensus secularium... Et ecce tibi, palatii et ecclesiarum scribo discrimen, imperatorum et pontificum... Nam quemadmodum Pontifex introspicendi in palatium potestatem non habet, ac dignitates regias deferendi, sic neque Imperator in Ecclesias introspicendi, et electiones in clero peragendi neque consecrandi, vel symbola sanctorum sacramentorum administrandi, sed neque participandi absque opera Sacerdotis. Sed unusquisque nostrum in qua vocatione vocatus est a Deo in ea maneat. Vides, Imperator, Pontificum et Imperatorum discrimen. Si quispiam te offenderit, domum eius publicas et spoliis, solam illi vitam relinquens, tandemque illum etiam vel suspendio necas, vel capite truncas, vel relegas... Pontifices non ita, sed ubi peccat quis et confessus fuerit, suspendii vel amputationis loco evangelium et crucem eius cervicibus circumponunt, eumque tanquam in carcerem in secretaria sacrorumque vasorum aeraria coniciunt, in ecclesiae diaconia et in catechumena ablegant, ac visceribus eorum ieiunium oculisque vigilias et laudationem ori eius indicunt. Cumque probe castigant probeque fame afflixerint, tum pretiosum illi Domini corpus impartiant et sancto illum sanguine potant, et cum illum vas electionis restituerint ac immunem peccati, sic ad Dominum purum insonantemque transmittunt. Vides Imperator Ecclesiarum Imperiorumque discrimen? »

Primum digna est animadversione interpretatio Richerii. Citantur haec verba Pontificis tanquam certa norma propriae potestatis Ecclesiae; aequitas postularet ut auctoritas Gregorii reciperetur integre cum de iuribus Ecclesiae disserit, sive cum docet quid in Ecclesia non possit Imperator. Huius enim rei iudicium ad Ecclesiam certe spectat. At audiatur Richerius: colligit ille quidem absolute non habere Pontificem potestatem introspicendi in palatium, et dignitates regias deferendi; verum subdit haec: « Tertio cum dicit Imperatorem non habere potestatem introspicendi in Ecclesiam etc., verum est ut se regularibus vel etiam spiritualibus rebus tractandis aut constituendis immisceat: *falsum autem si negare velit illum auctoritate pollere cogendi ecclesiasticos ad canonum observationem.* » Quid est autem in Ecclesias introspicere, si hoc non est? Iura ergo Ecclesiae ampliabat Gregorius, ignorabat hanc dependentiam eius ab Imperatore: et proinde iam ante Gregorium VII iura sua amplificabant Pontifices. Si vero censuit Richerius licere sibi circumscribere verba Gregorii, facit igitur et nobis potestatem addendi quasdam limitationes verbis Gregorii, ea porro modestissime utemur. Respondemus quidem primo his verbis potestatem asseri Ecclesiae infligendi poe-

nas corporales, qua posita determinatio eorum qualitatis et modi ex extrinsecis adiunctis et Ecclesiae arbitrio dependet. Respondemus secundo quod Gregorius volens proprios utriusque potestatis characteres assignare finem proprium Ecclesiae, qui est hominum salus, praestituit, et ea quoad Ecclesiam enumeravit quae propria Ecclesiae sunt, quaeque per se ipsa exercet: eaque Pontifex omisit quae non per se ipsam, sed mediante potestate principum solebat Ecclesia exercere, cuiusmodi est quaedam durior coercitio corporalis. Sed non negat potestatem ipsam, nec quod ius habeat exigendi ut ad eius nutum illam coercionem adhibeat potestas secularis. Sic autem accipienda esse verba Gregorii praxis quoque subsequentium Pontificum satis evincit. Porro eodem sensu quo Gregorius loquitur Nicolaus I epist. 8^a ad Imperatorem Constantip. versus finem. S. Bernardus De Consider. L. I. c. 6. negat Episcopis ius exercendi iudicia nimirum ius iudicandi « de terrenis possessiunculis hominum » et potestatem « praedia dividendi. » Negatur scilicet potestas civilis secularis ordinata ad bonum terrenae societatis. « Habent haec infima et terrena iudices suos reges et principes terrae. Quid fines alienos invaditis? quid falcem vestram in alienam messem extenditis?.. » At contendit iis datum esse iudicium in maiora... « ergo in criminibus non in possessionibus potestas vestra: quoniam propter illa et non propter has accepistis claves regni caelorum. » Ibid. L. II, c. 6. negat Romanum Pontificem habere *apostolico iure* aurum et argentum; Petrus enim non ei aliud dimisit quam quod habebat: non negat autem Bernardus haec a Romano Pontifice haberi posse, sed negat haberi hereditario iure a Petro. Ibidem negat *dominationem*, de qua Christus Luc. XXII, 28, competere Romano Pontifici; quoniam vero iam tunc a pluribus seculis Romanus Pontifex erat Princeps conditionis secularis; non id reprobatur Bernardus, imo probatur et tuetur epist. 243^a ad seditiosos Romanos directa, Sedemque Apostolicam ait divinis regalibusque privilegiis singulariter sublimatam esse; ea proinde dominatio negata intelligenda est respectu ovilis Christi et secundum eum modum quem Christus exclusit. « Consideres, inquit L. IV. c. 7. sanctam Ecclesiam Romanam, cui Deo auctore praees, Ecclesiarum matrem esse non dominam, tu vero non dominum Episcoporum, sed unum ex illis » ita tamen ut continuo subdat ipsum esse doctorem gentium, Christianorum ducem, ultorem scelerum, malorum metum, regum Patrem, legum moderatorem, canonum dispensatorem, vicarium Christi, Deum Pharaonis etc.

Ex hac simplici animadversione in potiora testimonia Patrum allata a Richerio, patet quam falsum sit traditione catholica contineri eam doctrinam quae negat potestatem coactivam corporalem Eccle-

siae. Cum ergo et ratio deducta ex ipsa natura potestatis Ecclesiae demonstret potestatem huiusmodi ei convenire, et Ecclesiae testificatio ac usus per plura secula idem evincat, impium est id negare ineptumque negationem fulcire argumento ducto ex non usu primorum seculorum; nam 1) hoc non est omni ex parte verum: 2) non usus potestatis non probat defectum potestatis, praesertim si rationes habeantur cur ab usu absterneatur.

Ad 9^m. iam fecimus abunde satis in fine demonstrationis.

Ad 10^m. *Status in statu* (h. e. duae societates ex iisdem membris coalescentes, atque utraque perfecta) *repugnat* si habeant eundem finem, vel si diversos, habeant oppositos fines, et quidem absolute; non autem si habeant fines subordinatos, qui identidem per accidens opponi possunt. Tales porro sunt finis potestatis civilis et finis Ecclesiasticae; unde potestas Romani Pontificis simul regit eos quos potestas civilis regit; utraque autem potestas amico foedere ex natura sua consociari potest et debet: sed obest plerumque perveritas mundi.

Probata est ergo thesis: ex qua probatione corollarii gratia illud inferto verbis Christi Matth. XVIII: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus*, non contineri omnem poenam quam irrogare possit Ecclesia, neque excludi coactionem corporalem, verba enim Christi positiva sunt, non exclusiva. Quia vero habendi sunt quidem tales homines a fidelibus tanquam ethnici quoad communicationem, non vero sunt reapse tales, sed adhuc manent subditi Ecclesiae; ideo eos potest ipsa punire. Cf. Suarez l. c. Illud autem perperam quidam ex eo negant quod Ecclesia sit societas voluntaria: nam negandum est antecedens in sensu adversariorum (§. VII). Cum ergo Ecclesia sit societas ex divina institutione necessaria, et Ecclesiae potestas sit vere coactiva, postquam quis Ecclesiae membrum factus est nequit ullo actu rebellionis se ab eius auctoritate subtrahere ut immunis evadat vi illius actus ab obligatione parendi Ecclesiae: quemadmodum ex pessime concepta Ecclesiae notione quidam Protestantes aut increduli affirmarunt.

§. XX.

Ipsa auctoritas in Ecclesia docendi, quam consequitur in fidelibus obligatio credendi id quod a magisterio proponitur pars est potestatis iurisdictionis.

I. Auctoritas scilicet docendi est quaedam potestas iurisdictionis, quia et ipsa sub hoc genere continetur quod est potestas iurisdictionis. Quid vero sibi vult auctoritatem docendi esse potestatem iurisdictionis?

Christus scilicet non ita instituit magisterium in Ecclesia ut infallibile quidem foret, obligatio vero credendi id quod ab eo proponitur oriretur solum ex iure naturae vel divino positivo, eo quod nempe Deo loquenti credendum est, et docente magisterio infallibili constat Deum esse locutum. Haec quidem ratio est cur magisterio Ecclesiae adhibenda sit fides, at non est sola. Sed obligationem credendi ipsum magisterium imponit, quod praecipit assensum fidei Deo revelanti id quod Ecclesia docet, poenisque positivis punire potest inobedientiam erga sua decreta fidei.

II. Et primo quidem nequit negari potuisse Christum tali potestate instruere eos quos doctrinae suae praedicandae propagandae et conservandae praeposuit in Ecclesia sua. In hac enim re versari certe potest iurisdictionis: Christus autem potuit participare aliis eam potestatem, quam iure proprio ipse obtinet. Quaestio est ergo facti an talis sit auctoritas docendi a Christo in Ecclesia instituta. Affirmantem partem ita probamus.

Auctoritas docendi est instituta a Christo pars potestatis ligandi et solvendi: atqui haec est potestas iurisdictionis: ergo. Minor certa est: probatur maior. Potestas clavium regni caelorum Matth. XVI, complectitur quoque auctoritatem docendi; est enim potestas in regnum credentium, cuius scilicet regni formale elementum est fides: qui habet ergo supremam potestatem in huiusmodi regnum habet potestatem in ipsius membra prout sunt fideles. Porro qui potestatem obtinet in regno, ius habet regendi omnes subditorum actus, qui proprii eorum sunt prout spectant ad hoc regnum; ergo potestas clavium huius regni prout talis est comprehendit quoque ius regendi fidem et professionem fidei omnium eorum qui sunt in Ecclesia. Atqui ipsa est simpliciter potestas iurisdictionis, quod liquet tum ex vi huius locutionis: *claves regni*, tum ex eo quod exercetur ligando et solvendo: ergo auctoritas quoque docendi est potestas quaedam iurisdictionis.

Idem liquet collato testimonio Matth. XVIII, 17. 18. Potestas enim ligandi et solvendi facta Apostolis est ea propter quam ius habent ut ab omnibus audiantur qui in Ecclesia esse velint: atqui et in doctrina fidei audienda est Ecclesia; ad eam ergo proponendam extenditur potestas ligandi et solvendi: haec vero est per se potestas iurisdictionis. Constat autem Patres ita quoque accepisse haec verba Christi, quorum proferemus testimonia in Th. de infallibilitate Pontificis sub testimonio Matthaei, in tract. seq.

Quapropter Ecclesia consuevit semper praecipere professionem fidei illius quam ipsa doceret, ipsumque actum fidei, eodem nomine decretorum sive canonum appellans tum leges fidei tum leges di-